5


DE INCERTO QUODAM SIMULACHRO, AC DE VOTO MELANTHI, DEQUE ASCLEPIO, Cui nuncupatum eſt votum

DISSERTATIO COMPOSITA

AB ALOYSIO ANDRUCCIO CYPRIO
Public. Græc. Ling. Profeſſ. in Archigymn. Bonon.

ET ILLUSTRISSIMO, ATQUE AMPLISSIMO
SENATUI BONONIENSI
AB EODEM DICATA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BONONIÆ, MDCCX.

Typis Succeſſorum de Benatijs. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO, ET AMPLISSIMO BONONIENSI SENATUI

Aloyſius Andruccius felicitatem.

PRæclara dumtaxat iſthæc Veſtra Beneficia, excitaverunt me, SENATORES AMPLISSIMI, ad exilem aliquam obſervantiæ, gratique

Digitized by Google

animi qualemcumque teſtificationem palam Veſtris glorioſis Nominibus exhibendam. Ego enim ſtatueram ſilentio vitam tranſigere, cum nihil grande, eximijſque Veſtris dignum Promeritis allaturus viderer. Sed cum perpenderem ſedulò, ac memoriâ repeterem ſæpenumero ſingularem illam, inauditamque Clementiam, qua me profugum diù patriâ, occultâ quadam acerbitate fati iactatum, ac deformatum ærumnis excepit Veſtra Immortalis Munificentia, PATRES CLARISSIMI, ſublevavit, erexit, & confirmavit; tunc enimvero adductus ſum ut exiſtimarem obſcurum hunc Diſſertationis meæ laborem Vobis forſitan pergratum futurum. Neque enim à me requiret quiſpiam Veſtrûm, vel perpolitam, ac ſplendidam expectabit orationem, cum imaginem anteactæ ætatis meæ perſpexerit. Intenderam enim animum (candidè fateor) ad honeſtas artes, in quas cæteri nimis magnum ſtudium, multamque operam conferunt: ſed à

tran-

tranquillis huiuſmodi diſciplinis partim me ægra valetudo abduxit, partim ſubiti, crebri, acerbiſſimique caſus avocaverunt. Quare, dum ſuis cum monumentis alij magnificè incedunt per ora hominum, ac ſapientiæ laude, ſtudiorumque ſuorum fructu quàm ampliſſimo perfruuntur; ſatis nomini meo, ſuperque ſit ea gloria quòd honeſtè, atque decorè hactenus qualemcumque ſortem pertulerim. Siquis verò velut inſulſum, rudemque me reprehenderit, velim planè homo intelligat me non ſcripſiſſe, eo conſilio, vt hiſtrionum more delectem hominum animos, ſed, vt in vulgus prodeat palam ex me aliqua vera vox perennis, atque manſura, quæ teſtatiſſimum omnibus faciat non perire apud me gratiam, atque memoriam illuſtrium beneficiorum, quibus me Vos MAGNANIMI MECÆNATES condecoraſtis. Quamobrem minime mirum eſt, ſi ego exterus homo nobiles Curas Veſtras, ac ſtudia grauiſſimarum rerum

au-

audeam interpellare. Meminiſſe enim Vos opinor penitus omnem ingenij mei fætum deberi Vobis, vel antequam enaſcatur, nec eſſe in poteſtate mea alijs, quàm Vobis inſcribere, præſertim cum me magnopere ad iucundum adeò obeundum munus inflammet pulchra recordatio illarum virtutum, in quibus habetis aliquid, vndè ita ſint Veſtræ, vt non ſint cæterorum. Iamque libenter hìc, ac fortaſſe æquiori iure, quâm cæteri, veriùs certè, Illuſtrem Pietatem Veſtram, Candorem, Honeſtatem, eximiam Æquitatem, atque Prudentiam ſingularem, facilem deniq; Maieſtatem, ac blandam Grauitatem morum recolerem, ac prædicarem, ſi quod virtutibus deberetur, liceret mihi potius dicere, quàm quod Modeſtia Veſtra, ac Moderatio pateretur. Feram igitur ego graviter licet, atque acerbè ſilendi neceſſitatem: nunquam autem Græcæ Literæ, nunquam Græcæ Muſæ tacebunt, quin Vos veluti ſuos Generoſos Patro-

tro-

Digitized by Google

tronos iactent quadam ambitionis prærogatiua. Vos interim, ad quos ſuperûm munere delata ſunt maieſtatis inſignia, per quos Literis licet beatè viuere, Diſſertationem hanc ſummi obſequij teſtem, & argumentum pro ſingulari Humanitate Veſtrâ excipite. Solem etiam novimus ſuperbas perluſtrantem aulas humiles caſas non temnere, nec Oceanum inclytos admittentem amnes inglorios rivulos faſtidire. Neque enim deterret me ne ad Vos accedam exiguitas muneris, dum nihil eſſe tam exiguum ſentio, quod repente non fiat maximum, cum eſſe cæperit Veſtrum. Summi Cælites faxint, vt Vos AMPLISSIMI PATRES, qui conſulitis per exempla poſteris, novumque, & rarum decus inſeritis noſtro Sæculo, perennem felicitatem ſitis, ac diuturnam gloriam conſecuturi.

Vidit

Vidit D. Paulus Carminatus Cler. Regularis Sancti Pauli in Metropolit. Bononiæ Pœnit. pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Domino Iacobo Card. Boncompagno Archiepiſc. & Principe.

IMPRIMATVR

F. Th. Maria Caneti Provicarius Sancti Officij Bononiæ.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO hæc, quam aggredior, dividitur in partes duas, quarum altera SIMULACHRUM quoddam nominis expers, quod Bononiæ extat in Marſiliano Muſæo, ſanè clariſſimo expendit breviter: altera MELANTHI votum Aſclepio nuncupatum, quod ibidem videre licet, complectitur: ſed utraque uti planius, & apertius pertractetur, in plura capita diſtribuitur.

PARS PRIMA DISSERTATIONIS

CAPUT PRIMUM.

Deſcribitur Simulachrum incertum, ac Philoſopho Pythagoræ tribuitur.

VIdere eſt in ampliſſimo Marſiliano Muſæo inter cætera heroum veterum ſplendida Monumenta, etiam Simulachrum quoddam ſine nomine. Neque enim artificis, neque illius, qui repræſentatur, nomen inſcriptum legitur. Candido è marmore exculptum eſt illud, quod Vetuſtas, poſtquam obſcuraverat, dempto naſo etiam deformavit. Latitudine palmum vel æquat, vel excedit, longitudine unum, & ſeſquialterum æquat: Circumligatum faſciâ caput attollit: promiſſam præſefert barbam dignam philoſopho: pexi capilli, atque neglecti deſcendunt per terga: illius collo inſculptum Græcis literulis hoc ænigma conſpicitur.

Prima Inſcriptio.

NON ERAM SUM FACTUS
ERAM MIHI NOM ISTHÆC
SI QUIS ALIUD DICAT MENTITUR
NON ERO

Secunda Inſcriptio,

Quæ medium pectus occupat Simulachri hæc eſt.

GAUDEO ESSE JUSTUS

Tertia quoque Epigraphe

Extremam pectoris partem ſibi vindicat: Græca eſt, ſed ita latinè illam verterim.

LICET ARMIS CUSTODIARIS
LINGUA TAMEN TUA NULLA IN RE
TIBI VICTORIAM COMPARAT:
UNAM TANTUM COMPARAT SED HÆC
TIBI MULTA INFLIGIT MALA

In ſubiecta oculis pagina expreſſum cernitur Simulachrum incertum cum hiſce tribus, ſed græcis inſcriptionibus, quarum ſingulas aptari PYTHAGORÆ pro virili parte nitar oſtendere.

Digitized by Google



Digitized by Google

CAPUT II.

Prima inſcriptio videtur Pythagoræ convenire.

PYthagoras ille Philoſophus, quem tanti Tullius ducit, ubi ſit natus eſt anceps, & in diverſas Sententias diſtrahuntur Scriptores. Plutarchus enim 8. Sympoſiac. Tyrhrenum tradit fuiſſe Pythagoram, non quaſi ibi genitus fuerit, ſed quòd in ea regione moratus, atque inſtitutus ſit. Hanc tamen opinionem conatur refellere Theon grammaticus. Apulejus florid. 2. hunc ferme in modum ſcribit: profugit ex inſula clam Pythagoras Patre Mneſarcho nuper amiſſo, quem invenio inter Sellularios artifices gemmis faberrimè ſculpendis laudem magis, quàm opes quæſiſſe. Alii, Marmaci, alii Tyrhreni filium eum nominant, præſertim Cleanthes, qui hoc à quibuſdam memoriæ proditum eſſe affirmat: Tyrhrenum è Lemno profectum Samum incoluiſſe, factumque indè fuiſſe, ut Samius Pythagoras vocaretur. Verùm quid juvat? quid refert rem tam altè repetere?

Pythagoram itaque Hermippus tradit, poſtquam Italiam incoluerat, inter latebras menſes per aliquot delituiſſe, ubi mandaverat matri, ut, quæ agerentur in Urbe, inſcriberet tabulis, quas in antrum illi demitteret, quò abundè ſatis edoctus ſingula, emergeret audacter, ementiretur vatem impavidus, & populo imponeret.

Diu ergo antrum obtinuit vaferrimus homo, cumque inediâ intabeſcere maluiſſet, hinc tandem ſquallidus, & macie confectus aſcendit Pythagoras: ad concionem vocavit cæteros, ingentique ſupercilio oſtentavit ſe reviviſcere, & ab inferis excitari, utque verſutis fabulis ſuis teſtatiſſimam fidem faceret, divinaſſe fertur Vates egregius quidquid in Urbe acciderat. Effudere lacrymas quotquot aderant, ac Pythagoram rati Numen aliquod è Cœlo delapſum, Uxores ſuas erudiendas illi conſignaverunt, quæ Pythagoricæ indè nuncupatæ ſunt. Callidum hunc Philoſophum tragico gravis cothurno Sophocles acriter, & ingenioſè ita perſtringit per anachroniſmum ſub Oreſtis perſona:

Ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
Λόγῳ μάτην θνήσκοντας, εἶθ' ὅταν δόμους
Ἔλθωσιν αὖθις ἐκτετίμηνται πλέον:

Quæ latinè ita: Quin etiam animadverti Sapientes ſæpè, cum mors illorum falsò nunciata fuiſſet, poſtea domum reverſos, majores honores conſecutos fuiſſe. No-

Notatur enim à Tragædo Pythagoras, qui cum lateret in antro, matri mandaſſe traditur, ut de ſupremo illius fato in vulgus parens rumores diſpergeret: Cumque illum putarent omnes occubuiſſe, poſt aliquot menſes comparuit, declaravit infernales fabulas cum alias, tum illas etiam de mendacibus, quique negligerent legitimarum uxorum concubitus, quas illi ſcilicet pœnas poſt funera luerent: venditavit quoque ducentos per annos ſe adfuiſſe hominibus, iterum, atque iterum deſcendiſſe ad Tartara, & Heſiodi quidem animam columnæ æneæ vinculis adſtrictam, ſtridentemque ſpectaſſe: Homeri autem animam pendentem ex arbore, ob ea, quæ audacter de Diis, falsòque cecinerant. Accedit etiam uti ſplendidus machinator fabularum Pythagoras Divinitatis nomine inſigniretur: famamque tunc admiratio nobilitavit, & auxit; cum auditoribus ſuis iſte Philoſophus inauratum alterum femorum ſpectandum præbuerit. Ariſtoteles enim ait à Crotoniatis Pythagoram Apollinem Hyperboreum nuncupatum fuiſſe: & paulo poſt Ælianus: ἔνθα καὶ τὸν μηρὸν ὁ Πυθαγόρας παρέδειξε τὸν ἕτερον χρυσοῦν: ibi nempe Crotone alterum femorum aureum oſtendit Pythagoras. Lucianus Βίων πράσει, & Apollonii τὰ θαυμάσια teſtantur. Metapontini illius igitur Pythagoræ Domum, Cereris delubrum vocabant, vicumque ſacratum Muſis, ſi credimus Phavorino.

Huc ſpectat quod tradit Juſtinus: Pythagoras, quum annos xx. Crotone egiſſet, Metapontum migravit, ibique deceſſit: ejus tanta admiratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent, eumque pro Deo colerent.

Ille igitur, qui efformavit Pythagoricum Simulachrum, inducit Pythagoram ita ſuos diſcipulos, ubi illis vivus apparuit, alloquentem. NON ERAM: ſcilicet hactenus non exiſtebam in omnium rerum natura Pythagoras: FACTUS SUM: modò ſcilicet ſum factus, cum revixi, iterumque hoc corpus reſumpſi: ERAM MIHI NON ISTHÆC: ſcilicet evolutos per menſes eram mihi non Pythagoras, ſed aliud nomen ferebam, & corpus aliud per metempſichoſim animabam: SI QUIS ALIUD DICAT MENTITUR, NON ERO: Si quis nimirum me dicat Deum aliquem, vel Apollinem Hyperboreum (talis etenim à ſuis diſcipulis prædicabatur) mentitur, non ero: ſcilicet nunquam potero eſſe Deus, aut Apollo Hyperboreus.

CA-

CAPUT III.

Alio argumento oſtenditur eadem Epigraphe Pythagoræ convenire.

SPlendidè mendax Pythagoras jactabat ſe Euphorbum Panthoi fuiſſe filium, Trojanòque bello occubuiſſe, & interfectum à Menelao iterùm revixiſſe. Noverat enim ſe factum eſſe Pythagoram (ſic delirabat homo) agnito clypeo, quem geſtaverat Euphorbus. Id ipſum teſtatur Ovid. Lib. xv. Metamorph. ſub perſona Pythagoræ:

Ipſe ego, nam memini trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum lævæ geſtamina noſtræ
Nuper abanteis templo Junonis in Argis.

D. Hieronymus in Apolog. ad Rufinum ita per riſum ironicè traducit Pythagoram: primùm fuit Euphorbus, deinde Callides, tertio Hermotimus, quarto Pyrhrus, ad extremum Pythagoras: nec non Pauſanias Corinthiac. Malchus verò in vita Pythagoræ, idem prorſus, quod Laertius ſentit: licet A. Gellius diſcrepet, amplectaturque quod Dicæarchus, & Clearchus tradidit fuiſſe primùm Pythagoram, poſtea Pyrandrum, deinde Callidem, deinde pulcherrimam fœminam Alcem nomine, ſed Meretricem. Hanc Pythagoræ de ſe opinionem ut evanidam, ſtultamque irridet Lactantius Lib. 3. de Falſa Sapientia Cap. 18. diſſentit quoque Apollonii Scholiaſtes: & Ovid. perſonam gerens Pythagoræ.

Aliàs itaque alium eundem fuiſſe Pythagoram Xenophanes in Elegia teſtatur:

Qui (Pythagoras) catulum duro miſeratus verbere cæſum,
Cum (ut fama eſt) olim præteriiſſet ait.
Deſine, ne miſerum cædas: Nam charus amici
Eſt animus, quem vox indicat ipſa mihi.

Referuntur hæc Carmina ab Atheneo Lib. x. & xi. & ſequentia digna ſcitu reperio in Laertio:

Reſpice in Euphorbi radiantia ſcuta renati
Pythagoræ mentem noſcere quiſquis aves,
Olim ego dicit, eram mortalis, nec ſinit unquam,
Sive erat, haud vel erat, dicere ſemper, eram.

Itaque aliquis ut per jocum traduceret Pythagoricam traſmigratio-

tionem, Simulachrum efformavit Pythagoræ cum hujuſmodi inſcriptione, in qua de ſe ipſe Philoſophus inducatur fateri: NON ERAM; ſcilicet Pythagoras, ſed Euphorbus, qui trojano bello adfuerat: FACTUS SUM: ſcilicet factus ſum Pythagoras, cum mea anima in hoc corpus tranſmigraviſſet: idque hinc præſertim intelligo, quòd reminiſcar clypeum, quem trojanas intra acies, cum eſsem Euphorbus geſtabam. SI QUIS ALIUD DICAT MENTITUR, NON ERO. Si quis nempe me dicat Apollinem Hyperboreum (talem ſiquidem prædicabant Crotoniatæ) mentitur, non ero: nunquam ſcilicet potero eſſe Deus Apollo. Quamvis enim anima mea ex alio in aliud tranſmigratura ſit corpus; nunquam tamen Deorum naturam longè humanâ ſorte præſtantiorem, ac nullo modo potero mihi vindicare. Ita inducitur Pythagoras de ſe dicere.

CAPUT IV.

Secunda inſcriptio eidem convenit.

MIrum in modum æquitatem, atque juſtitiam Pythagoras coluit, ut cohortaretur Auditores ſuos ad rependendum cuique honorem, & qualis decet, & quantus debetur: Deos quidem Heroibus præferendos cultu, Hominibus autem præferendos Heroas honore, Parentes verò Hominibus cæteris. Hinc eſt quod quatuor genera Deorum nempe, Dæmonum, Heroum, & Hominum Pythagoras judicaverit. Horum Deos celciſſimum, Dæmonas medium, Homines autem infimum tenere locum arbitrabatur: Heroum verò conditionem affigebat Sedi inter Deos, & Homines mediæ. Quam opinionem ceteri deinceps Philoſophi amplexi ſunt, & Philoſophorum Princeps Plato, & Ariſtoteles.

Juſtum ſe eſſe erga Deos, & Homines affirmabat Pythagoras, ac ſuos diſcipulos ad excolendam juſtitiam hoc avreo carmine excitabat:

Juſtitiam exercete opereque, verboque

Supputator Apollodorus tradit hecatombem illum Diis litaſſe; deinde cum Neſtum amnem, qui in Thracia Pangæi montis radices ambit, unâ cum ſociis ſuperaſſet, elatam percepiſse vocem longè profectò ampliorem humanâ: ΠΥΘΑΓΟΡΑ ΧΑΙΡΕ: GAUDE PYTHAGORA. Idem confirmat etiam Ælianus.

Quamobrem, qui Pythagoræ Simulachrum hoc efformavit, videtur

detur induxiſſe Pythagoram hoc emblemate GAUDEO ESSE JUSTUS, reſpondentem voci illi propè divinæ GAUDE PYTHAGORA, quam ubi Diis ſacrificaſſet, perceperat. Jactabat enim ſe, cum deſcenderat ad eorum latibula, qui incolunt Tartara, ſingulos quoſque vidiſſe: multum autem Pythagoricos differre à mortuis: una cum his quippe Solis conveſci Plutonem, ob illorum Pietatem, atque, Juſtitiam. Quadere minime mirum eſt, ſi illius Simulachro inſculptum fuerit hoc emblema: GAUDEO ESSE JUSTUS.

CAPUT V.

Tertia inſcriptio eidem convenit.

PYthagoras diſcendi Cupidus relicta patriâ multa didicit. Primùm omnium adiit, & audivit Pherecydem Syrum, qui primus dixit animos hominum eſſe ſempiternos. Hanc opinionem diſcipulus ejus Pythagoras maximè confirmavit, quippequi peregrinabundus cunctis ferè Græcis, barbariſque myſteriis initiatus eſt: Ille Magos Perſarum, & Chaldæorum adiit: deinde in Creta una cum Epimenide in Idæum antrum deſcendit, Ægyptum quoque luſtravit, in cujus adyta ingreſſus eſt, de Diis myſteria, & hieroglyphica perdoctus, ut Atheus Lucianus teſtatur. Patriam tandem repetiit, quam cum oppreſſam Polycratis Tyrannide offendiſſet, Crotonem in Italiam profectus eſt, ſi credimus Ciceroni. De Polycrate verò Æacis filio, qui Samum vi occupatam initio trifariam partitus erat cum fratribus Pantagnoto, & Syloſonte, quorum tamen alterum necavit poſtea, alterum ejecit, plura Herodotus in Thalia. Cauſam autem cur Pythagoras patriam liquerit indicat Malchus his ferè verbis: Quum jam Pythagoras quadrageſimum annum ageret, ſpectaretque ſæviorem in dies Polycratis Tyrannidem dedecere ratus Virum ingenuum ſordidum iſtiuſmodi pati imperium, in Italiam migravit. Id ipſum confirmat Plutarchus: migravit è Patria Samo Pythagoras quòd graviter, & acerbè à Polycratis Tyrannide ſuſtineretur: ſubſcribit etiam huic opinioni Ovid. xv. Metamorph.

Vir fuit hic ortus Samius: Sed fugerat unà
Et Samon, & Dominos, odioque Tyrannidis exul
Sponte erat ——

Itaque ab illo, qui hoc efformaverat Simulachrum inducitur Pythagoras hac tertia inſcriptione Symbolica, vel ænigmatica infauſtiſſimum exitum ita Tyranno Polycrati ominari: ARMIS LICET CUSTODIARIS ò Polycrates cum caveas ne quis Civium impatiens tyrannidis tuæ Te morti dedat: attamen LINGUA TUA NULLA IN RE TIBI VICTORIAM COMPARAT: tua nempe lingua minis modò, blandis modò verbis inire gratiam Civium, eorumque ſtudia ſibi conciliare nititur: Sed nulla in re Civium captat benevolentiam, nunquam vel minis, vel beneficiorum pollicitationibus vincit, flectitque illorum animos, quin Te conſiderent veluti acerbiſſimum Tyrannum, quippequi alterum fratrum necaveris, & ejeceris alterum. UNAM TANTUM VICTORIAM TIBI COMPARAT, nimirum ut minis linguæ tuæ ab omnibus Civibus timeare. SED HÆC VICTORIA MULTA TIBI INFLIGIT MALA: atque hoc primum, ut ſemper omnes timeas, quem timent omnes: alterum, ut cariſſimorum etiam conſcientiam reformides: tertium, ut benè noſcas omnes poſſe, ſi velint, quidquid mali libuerit, tibi infligere, ac poſſe omnes tibi demere vitam, ſi velint: velle autem, cum Te oderint. Nam quiſpiam forſitan vel vi, vel dolo tibi vitam eripiet nullas daturus pœnas, ſed potius veluti Vindex Libertatis, ac Patriæ præmiis ampliſſimis condecorandus.

Præclarè ſanè iſtam ſententiam comprobat Poeta Ennius:

„ *Quem metuunt, oderunt:*
„ *Quem quiſque odit, periiſſe expetit.*

CA-

CAPUT VI.

Inſerta Capiti Simulachri faſcia Pythagoræ convenit.

CRotone Tyrannidi inhiaſſe Pythagoram traditum eſt. Quamobrem cum apud Milonem unâ cum Sociis conſediſſet, Crotoniatæ flammas injecerant domui, ut concremarent Pythagoram Tyrannidis ſuſpicione, ac metu, ut prodit Laertius.

Itaque FASCIA, quæ circumligat Simulachri caput, Pythagoram deſignat, & indicat vehementer Tyrannidi anhelaſſe.

Quamvis enim præceptor egregius moneret auditores ſuos his Symbolis κυάμων ἀπέχεσθαι, ut à fabis abſtinerent, στέφανον μὴ δρέπεσθαι, ne coronam decerperent: ut nimirum ab omni magiſtratu gerendo ſe abſtinerent; bonus tamen Philoſophus apud Crotoniatas teſte Tertulliano affectavit imperium. Fortaſſe exiſtimabat Homo, ut in profana vetuſtate Sapientiſſimus procurationem omnem publici muneris rem Sacram, atque divinam eſſe à Diis, quorum munus eſſet, religioſè magis expetendam, quàm humanâ vel ambitione, vel induſtriâ temerè ſuſcipiendam. Equidem id eſſe cauſæ interpretor, cur diſcipulos ſuos Crotoniatas, qui rempublicam Ἀριστοκρατικῶς agitabant, ad detrectandos honores, ac dignitates crebrò cohortaretur, ut illas abdicatas jam à diſcipulis, vel contemptas præhenſaret Præceptor, & uſurparet imperium è Philoſopho factus Tyrannus.

Egregiè ergo, atque ingenioſè ambitionem Pythegoræ caſtigavit, atque coarguit Artifex, qui Pythagorici hujus Simulachri caput Diademate redimivit.

CAPUT VII.

Alio argumento idem Diadema expenditur.

CUm Crotonem acceſſit Pythagoras leges Italis dedit, & mirum in modum ob eam cauſam colebatur, & eximiis honoribus exornabatur unâ cum ſuis Diſcipulis, qui trecenti facilè præclarè, ſapienterque Rempublicam temperabant, ut fermè Ἀριστοκρατία optimorum ſcilicet reſpublica videretur. Inter leges Pythagoræ non abſurdè forſitan quis retulerit illas, quibus Numa Urbem Romam inſtituit: præſertim ſi diſcedamus ad eorum ſententiam, qui Nu-

 mam

mam Pythagoræ fuiſſe Diſcipulum arbitrantur, ut Plinius, qui Lib. XIII. Caſſii Heminæ vetuſtiſſimi Scriptoris teſtimonio tradit in arca, in qua Rex Numa ſitus fuiſſet, quæ inventa ſit à C. N. Terentio in Janiculo libros eſſe repertos, in quibus erant ſcripta Philoſophiæ Pythagoricæ.

Igitur minime mirum eſt, ſi vel Rex Numa Auditor Pythagoræ, vel trecenti alii ejus Diſcipuli, qui honeſtiſſimis præceptoris legibus agitabant Rempublicam in grati animi argumentum, Diadema Regum, Imperatorum, atque Heroum teſſeram Pythagoræ legum latori indulſerint: ut qui eâ tempeſtate efformaverat hoc Pythagoræ ſimulachrum ipſius capiti inſeruerit DIADEMA.

Meam ſententiam hactenus de incerto iſto Simulachro aperui, opinionemque meam de ænigmaticis hiſce inſcriptionibus in medium protuli: an divinaverim neſcio: res anceps eſt, obſcura, atque abſtruſa, & veritatem in imo putei ſolo latere inquit Democritus: indè illam hauriat aliquis, & erit mihi magnus Apollo.

Digitized by Google

PARS SECUNDA DISSERTATIONIS

IN hac Diſſertationis parte primùm de Æſculapio, cui Votum Melanthi eſt dedicatum, deinde de Melantho, ejuſdemque Tabella Votiva dicere aggrediar.

CAPUT PRIMUM.

De Æſculapio.

ÆSculapium tradit Lactantius Apolline fuiſſe genitum. Æſculapius (inquit) non ſine flagitio Apollinis natus quid fecit aliud divinis honoribus dignum niſi quòd ſanavit Hippolytum? Homeri etiam hymnus illius teſtatur originem.

Ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιὸν ἄρχομ᾽ ἀείδειν,
Υἱὸν Ἀπόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνίς.
Medicum ſcilicet morborom Aſclepium incipio canere
Filium Apollinis, quem genuit Dia Coronis.

Apollophani quoque Arcadi, cum petiiſſet Delphos quæſiturus ex ethnico Numine natus ne ex Arſinoe eſset Aſclepius, & Civis ne eſset Meſseniorum, reſponſum his carminibus datum eſt (Pauſan.)

Aſclepi auxilium cunctis mortalibus almum,
Filia, quem Phlegyæ peperit mihi juncta cubili,
In Campis Epidaure tuis formoſa coronis.

Meſsenii tamen præ Diis cæteris colebant Aſclepium, cum Arſinoe Leucippi filia natum putarent. At dum Veteres Ethinici inter ſe certant acriter de origine venerabilis adeò apud illos Numinis, Nothum fuiſse Aſclepium adducor ut credam, meamque confirmat ſententiam Tarquitius affirmans Aſclepium incertis natum parentibus, expoſitum, & à venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum Medicinam perdidiciſse. Fatetur hoc & Ovid. Lib. 2. Metamorph.

Non

Non tulit in cineres labi ſua Phebus eoſdem
Semina, ſed natum flammis, uteroque Parentis
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum.

Subſcribit Apollod. Biblioth. Lib. 3. Apollo rapiens infantem è pyra ad Chironem Centaurum alendum tulit, à quo etiam medicinam, & venandi artem edoctus eſt. Quare Plutarch. Lib. 8. Sympoſiac. Cap. 14. & Medicos habere præſidem Æſculapium ſcimus: & quia unum vel alterum ſanavit Aſclepius fecit locum Poëtarum mendacio coram Jove Plutonem queſtum eſſe de Jove, quòd pateretur peritiâ Æſculapii ad vitam plures mortuos revocari, alluditque nimius, & emphaticus Nicomedes: καὶ νεκύων ἦν σπάνις ἐν αἴδι: & mortuorum erat egeſtas in orco: Superi omnes Nicomedem perdant, niſi peritia Æſculapii, plures, quàm Achillis ira:

„ Ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν

„ Ἡρώων: fortes nempe animas orco præmaturè miſit, Heroum.: Hom. Iliad. A. Pindarus verò Pythior. Od. 3. ſic cecinit: „ Ἀσκλαπιὸν ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων:

Heſculapium nempe, heroem omnigenorum propulſatorem morborum: Verum autem candidè fatetur, neque adulatur Arnobius Lib. 4. contra Gentes: Nunquid cupidinis, atque avaritiæ causâ (ſicut canit Bæotius Pindarus) Æſculapium fulminis transfixum eſse telo? Cyprianus Lib. 3. de Idolorum vanitate hunc in modum pronunciat: ÆSCULAPIUS ut in Deum ſurgat fulminatur. Quid ni? Ars enim medendi Inventori ſuo Aſclepio Divinitatem rependit poſt funera: quemadmodum Vulcano Fabrica. At enimvero figulinæ artis repertori cur denegata ſint templa non video. Aut omnibus artium inventoribus, aut nemini largiatur divinitatem Antiquitas. Sed quid plura? Summus Poeta clamitat Medicinæ inventorem Aſclepium ad ſtigias undas eſſe detruſum fulmine, & Numen veluti colit illum cæca Vetuſtas? eos videlicet credit Deos, qui ne probi quidem homines extiterunt.

CAPUT II.

Deſcribitur Æſculapius.

PIngebat profana Vetuſtas Aſclepium venerabilem Senem, nodoſo in manu baculo, & barbâ propexâ. Signum ejus expreſſerat C. Svetonius in Auguſ. Cap. 59. de barba: Dionyſius verò Siculorum

culorum Tyrannus cenſor Luxus Deorum, & emendator egregius Æſculapio barbam auream demi juſſit dedecere ratus eſſe barbatum filium, cum in omnibus fanis Pater foret imberbis: Sicuti Jovi Olympio aureum detraxit amiculum: laneum juſſit imponi inquiens æſtate grave eſſe aureum, hyeme frigidum: laneum utrique tempori aptum. Rem autem non Epidauri, ſed in Sicilia actam eſſe Ælianus teſtatur. Pallium, & crepidas Græco more, nempe Græcus Deus gerebat. Tertull. Lib. de pallio. Cum baculo etiam effigies illi poſita eſt: canes adhibentur ejus templo, quòd Is uberibus Canis nutritus ſit: baculum habet nodoſum, quod difficultatem indicat medicinæ. Ars enim longa (ut dolet medicorum maximus) vita brevis, experimentum difficile: Laureâ coronatur, quòd illa arbor plura ferat remedia: Lævâ manu baculum geſtat, dextramque admovet barbæ. Huc collimat Ovid. canens:

Cum Deus in ſomnis opifer conſiſtere viſus
Ante tuum Romane torum, ſed qualis in æde
Eſſe ſolet, baculumque tenens agreſte ſiniſtrâ
Cæſariem longâ dextrâ deducere barbæ.

CAPUT III.

De Melantho.

MElanthum fuiſſe Meſſenium Andropompi filium, Bori nepotem, abnepotem Penthili tradidit Pauſanias. Melanthus igitur ab Heraclidis Peloponenſium repentibus pulſus, Athenas pergit, cumque interfeciſſet ſingulari certamine Bæotorum hoſtium Ducem Xanthum, adverſus quem pugnabant Athenienſes, ad faſtigium Regni, quod à Thyemete Athenienſium Rege ultro abdicatum eſt, evehitur fauſtis ominibus, & obſcuram Oraculi ſortem impletam eſſe fama tenet. Patriâ enim profugus ille Melanthus Oraculum ubi nam gentium proſperis auſpiciis ſtabilem, certamque ſedem juvaret figere percontatus, reſponſum accepiſſe fertur: ubi ſcilicet primùm munera illi pedes, & capita apponerentur: quod obtigiſſe poſtea traditur Eleuſine, ubi, cum feſtum neſcio quod patrio ritu concelebraſſent Athenienſes carnes abſumpſerant, nec quidquam ſupererat aliud, quàm pedes, & capita, quæ obtulerunt Melantho, qui Apaturia inſtituit feſtum Baccho ſacrum ob ſingulare certamen ejuſdem Melanthi cum Bæoto Xantho. Celebrabantur

Digitized by Google

brabantur verò per triduum Apaturia. Primo die epulum parabatur ſplendidum, jamque Sole ad occaſum vergente, ad illud accedebant Tribules: altero rem ſacram obibant, puerumque admovebant ad aras, quem tertio die in album civium Athenienſium referebant. De primo die, quo epulum erat Xenophon conſulatur Hiſt. Græc. Lib. I. μετὰ δὲ ταῦτα ἐγένετο ἀπατούρια, ἐν οἷς οἵ τε πατέρες καὶ οἱ ξυγγενεῖς ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς: poſt hæc nimirum inſtituta ſunt Apaturia, in quibus parentes, ac propinqui conveniunt. Fulgebat ſupra modum primo die epulum. Nam pulcherrimis exornati veſtibus Athenienſes accendebant è foco faces, lætabundi concurrebant, celebrabantque Vulcanum, quippe qui ignis uſum docuerat. Narrat rem Harpocration. Tertio die, qui κουρεῶτις appellabatur, puerum quiſque ſuum parentes offerebant inſcribendum jurejurando adacti Athenienſem eſſe illum ex ipſis Athenienſibus genitum: refert id Iſæus. Die illo parentes pueris proponebant pro certaminibus carmina poetarum, palmamque referebat ille, qui plura carmina mandata memoriæ palam cæteris recitaret. Plato in Timæo. Apaturia itaque (ſi Poliæno, ac doctiſſimo Proclo credimus) Melanthus ille inſtituit, qui valetudini reſtitutus Æſculapio dedicavit Tabellam iſtam Votivam, quam ſum breviſſimè deſcripturus.

Videre eſt in Præclariſſimo Marſiliano Muſęo Bononię Tabellam quandam Votivam exculptam è candido Marmore, temporis diuturnitate aliquantum obtenebratam, bipalmem longitudine, palmarem verò latitudine: Tabellæ frontem Græca inſcriptio occupat:

MELANTHUS CURATUS PRO
GRATIARUM ACTIONE
VOTUM ASCLEPIO SOLVIT.

Lęvam tenet Melanthus qui voverat: dextram impleret Aſclepius, niſi Tabella foret ſemiruta. Melanthus benè barbatus inſpicitur, Togatus, & regium Diadema gerens, nec malè crinitus: extaret integer, ſi integra ſervaretur Tabella, quę oculis legentium ſubiicitur.

CAPUT



Digitized by Google

CAPUT IV.

In quonam Templo Aſclepii locaverit Tabellam votivam Melanthus?

MEmoriæ prodidit Pauſanias Panopenſibus eſſe in ipſa via Sacellum, & in eo Signum extare vel Promethei, vel Aſclepii, ut aliqui opinantur. Ad dexteram Dromi Agnitæ templum erexit Vetuſtas: Æſculapii hoc eſt cognomentum, quia Simulachrum ejus eſt ex herba, quæ agnus vocatur: διὰ τὸ ἐν τοῖς θεσμοφορίοις (Pauſan. & Dioſcorid.) ἁγνευούσας γυναῖκας εἰς ὑπόστρωμα χρῆσθαι αὐτῇ: quia videlicet Matronæ in Themiſphoriis caſtitatem cuſtodientes his foliis cubitus ſibi ſternebant. Idem quoque comprobat Scholiaſtes Nicandri. A' Cyrenæis etiam Cyrenaicum in modum erectum eſt Æſculapio fanum: nec non Lebenæ, quæ eſt Cretenſium Urbs, delubrum Æſculapio ſacrum extructum legimus, Æſculapio inquam, quem abſimili ritu Cyrenæi colebant capras ſacrificantes: Lebenæ verò Cives immolabant Gallinas, nec qualeſcumque, ſed nigras, & imparibus digitis, quas ad rem ſacram putabant idoneas. Lucum ibidem Æſculapii circumquaque cingunt montes, intra cujus ambitum mori quemquam, vel naſci religio eſt. (Pauſani) Scithæ verò Sanctum appellant, in quo colitur Æſculapius, de quo Livius 3. Decad.: nullas dum in Aſia habebat ſocias Civitates Populus Romanus; tamen memores Æſculapium quoque ex Græcia quondam haud ullo fœdere ſociata valetudinis populi cauſa accerſitum. Hinc Oraculum apud Ovid. Lib. xv. Metamorph. ipſe Apollo conſultus:

Quod petis hinc, propiore loco Romane petiſſes,
Et pete nunc propiore loco, nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus eſt, ſed Apolline nato:
Ite bonis avibus, prolemque accerſite noſtram.

Accerſiverant profectò Romani Æſculapium Epidauro Romam: eidemque templum erexerunt in Tyberis inſula, quam ſedem ſibi ablegerat, cum intra Urbem morbus ſæviret, & Cives extra pomærium degere ſalubrius ducerent. Illic ad valuas templi, qui morbo aliquo laboraverant, incubabant valetudinis cauſa. Quamobrem qui morbo levatus minime fuerat apud Plautum his verbis incuſabat Aſclepium Deum hujus farinæ:

Migrare certum eſt jam nunc è fano foras
Quando Æſculapi ita ſentio ſententiam.

Aliæ quoque Gentes Æſculapii delubra extra Urbis mœnia extruxerunt: hunc morem verò ab Ægyptiis ductum eſſe, & in cæteras propagatum Gentes crediderim. Ab illis namque ſancitum fuerat, ut nunquam Saturni templa, ac Serapis admitterent intra mœnia, ſed veluti pervigiles, & excubitores Deos extra Pomærium ſedes habere ſinerent.

Inter tot, tamque Magnifica Æſculapio dedicata ubique fermè Gentium fana, Delubrum Epidauri fama maximè celebraverat: in illud velut inſigne miraculis, & πανακὲς, morborum ſcilicet omnium remedia promittens afferebant vota ægræ Gentes, Principes, ac Reges, præſertim ii, qui pertinebant ad eas plagas, undè lucis primordium eſt.

Quamobrem Melanthum quoque valetudini reſtitutum Tabellam iſtam votivam, quæ modò extat in Marſiliano Muſeo conjecturâ aſſequor (neque enim hoc affirmare pro certo auſim) collocaſſe in Æſculapii templo, quod Epidauri colebatur, quodque maxima ęgrorum pręſertim Principum frequentiâ inclaruit, nobilitatumque eſt. Ex Epidauriis enim Æſculapii cultum in cæteros propagatum eſſe oſtendit Pauſanias. Nam & Athenienſes diem Initiorum ſtatutum, quem ſacraverunt Aſclepio, Epidauria nuncupant. Idem Author aſſeverat in Corinthiac. τὰ γὰρ Ἀσκληπίεια εὑρίσκω τὰ ἐπιφανέστατα ἐξ Ἐπιδαύρου: invenio enim feſta Æſculapii omnium magnificentiſſimè Epidauri celebrari. Certamen quoque in Æſculapii honorem ab Epidauriis inſtitutum Scholiaſtes Pindari Nemeoni: Od. 3. ita affirmat: τίθεται ἐν Ἐπιδαύρῳ ἀγὼν Ἀσκληπιῷ, τῶν Ἀσκληπιαδῶν πρῶτον τιθέντων: inſtituitur nimirum Epidauri certamen Aſclepio, cum illud primùm inſtituiſſent, qui ab Æſculapio genus duxerunt.

Digitized by Google



Digitized by Google

Εἰς τὸν πανυπέρτατον, καὶ αἰδεσιμώτατον ΚΑΡΔΙΝΑΛΙΝ τὸν ΚΑΣΟΝΟΝ ΛΗΓΑΤΟΝ ἄριςον τῆς ΒΩΝΟΝΙΑΣ.

Ωδὴ σαπφικὴ.

ΟΣτις ἐθέλει καθορᾶν εἰκόνα,
Κάτοπτρον πάσης ἀρετῆς ἐμψύχυ,
ΛΗΓΑΤΟΥ εἶδος ἀληθῶς ἀρίςου
Δεῦρο μολεῖτο.

Ποῖδὴ ἂν εἴποι; Βωνονίης εἰς πτόλιν,
Οὗπερ ΚΑΣΟΝΟΣ ἥλιος ὥς ἄλλος,
Ακτῖνας, πάντας ἐπὶ φῶτας χέει
Ποικιλοδώρους.

Θησαυρὸς μέγας γέγονε σοφίης
Τέκμωρ τῆς ὑπὲρ σκῆπτρον, ἠδὲ ὄστρον
Τόνδε κοσμούσης ἀθανάτῳ κλέει
Θειοσεβείας.

Φωτίζαθέῳ ἐὸν ἦτορ ἔνδον
Μάλα καλλύνει νόῳ θεοδότῳ
Ηπίως ἄρχει ὑποβλήτου ὄχλου
Ον μακαρίζει.

Εν Τούτῳ λάμπει παθῶν ἐγκράτεια.
Οἶδεγὰρ πάνυ πάντα Ηγεμόνα
Κόιρανον πρῶτα πρέπειν ἀυτοῦ πέλειν,
Κ'εὖ Βασιλεύσει.

ΒΩΝΟΝΙΗ τέρπου, σοῦγαρ ὑπάρχει
Ηρως τοιοῦτος, κῦδος οὐ νικάει
Φάτιν μερόπων, νυνὶδέ νικᾶτο
Πύλιον ὥρη.

Digitized by Google

AD EMINENTISS., AC REVERENDISSIMUM *CARD. CASONUM BONON. LEGATUM*

Quàm Optimum.

Ode Sapphica Græca Latinè ad verbum reddita.

Quiſquis imaginem cupit aſpicere
Virtutis omnis ſpirantis ſpeculum,
LEGATI ſpecimen verè quàm Optimi
Huc ille veniat.

Quonam quis diceret? In Urbem Bononiæ,
Ubi CASONUS ſol tanquam alius
Super omnes homines effundit radios
Valde beneficos.

Ingens theſaurus eſt Sapientiæ,
Exemplar etiam pietatis ſplendidum,
Quæ illum ſupra ſceptrum, atque oſtrum, gloriâ exornat
Nunquam caſurâ.

Cœleſti luce animum intus ſuum
Valde illuſtrat, menteque data divinitus
Leniter regit populum ſubiectum,
Quem felicem reddit.

In Hoc affectuum fulget Moderatio;
Novit enim optimè Regnatorem quempiam
Decere primùm Regem eſſe ſui,
Et benè regnabit.

Gaude ergo BONONIA: Tibi namque præeſt
CASONUS Heros, gloria cuius ſuperat
Famam mortalium: utinam quoque ſuperet
Pylium annis.

Εις τὴν ἐκλαμπροτάτην καὶ ἐπιφανεςάτην
ΓΕΡΟΥΣΙΑΝ τῆς ΒΩΝΟΝΙΑΣ.

Δίστιχον.

ΚΟ'σμῳ κόσμος Εαρ, Δελφὶν Αλὶ, Φοῖβος Ολύμπῳ:
ΒΟΥΛΗ Βωνονίῃ, Ἄυσοσι Βωνονίη.

IN ILLVSTRISSIMUM, ET AMPLISSIMUM

SENATUM BONONIENSEM.

Diſtichon Græcum ad verbum latinè redditum.

O *Rbi decus eſt Ver, Delphinus Ponto, Phebus Olympo:*
SENATUS Bononiæ decus eſt: Italis Bononia.

Εἰς

Digitized by Google

Εἰς τον ΚΩΜΗΤΑ, και ΣΤΡΑΤΑΡΧΗΝ ΑΛΟΥΣΙΟΝ ΜΑΡΣΙΛΙΟΝ.

Ἐπίγραμμα.

Jταλοὶ Ελληνες Κελτῶν Γενος ἐλθέτ Ιδυδα
Κυπριοι, ἠδὲ Αραψ ἔλθετε ἐκπεράτων,

Ἔσπετε νῦν μοι τίς πελει ὄυτος ὅν ἄυοι ὁρᾶτε;
ΜΑΡΣΙΛΙΟΣ πέλει, μέλπετε πανσυδίῃ,

Ξείνων τ'ἐσομένων ἄσρον, λῶσον παλλαδος ἕρχος
Ελλάδος Αμυντωρ πάντεσιν ἠδὲ Πρόφρων,

Ὅς κλεινὴν δωρήσατο κοινῇ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗΝ
Τῆδ' ἐυεργεσίῃ ἄρκια δεια μέλη;

Οὗτος ἀριζήλῳ μεγαθύμου ὕψει λάμπει
Αλλους τ'ἐυσεβίῃ φῶτας ἐπικρατέων.

Παντοδαπῶν γοῦν δρέψατε ἀιθερίων ἀρετάων
ΜΑΡΣΙΛΙΩ Πύραμις ςασθω ἀθανασίης.

IN COMITEM, AC DUCEM
ALOYSIUM MARSILIUM.

Epigramma ad verbum Latinè redditum.

ITali, Graci, Gallorum Natio, accedant atque Judai
Cyprii, atque Arabs veniant è finibus Orbis:

Dicite nunc mihi, quis eſt hic, quem admirabundi ſpectatis?
MARSILIUS ille eſt, canitis unanimes:

Nempe illud benignum exterorum ſidus, Palladis clarū ſeptum,
Gracorum Patronus, benevoluſque cunctis,

Qui celebrem Bibliothecam ſuam publica felicitati donavit:
Quanam laudes tanto beneficio pares reddi poſſunt?

Eminet Iſte apice celſo magnanimitatis
Cateros pietate mortales ſupergreſſus.

Ex omnigenis ergo celeſtibus virtutibus decerpite apices
Ut MARSILIO erigatur Pyramis immortalitatis.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google


ΑΡΧΙΜΗ
ΑΡΧΙΜΗΔΗΣ
Æ

Inclyto Paſtori Arcadi Accl.

CRATEO

Iconem Archimedis offert

Paſtorum clientium Humillimus & Obſequentiſſimus, gratulatus in domeſtico ejus theatro ſpectatas machinas, arte mira elaboratas

A' CLARISSIMIS VIRIS

FRANCISCO PEREGRINO

NOBILI MESSAN.

ET D. PHILIPPO JUVARRA

EJUSDEM CONCIVE.

EPIGRAMMA.

OLim claruit unico Archimede
Felix Inſula, nunc ferax duorum
Ambos Romulidum exhibet theatris.
Utrumque appoſitè. Odiis Quiritum
Marcellique minis ferebat ægrè
Illum Trinacris, ægriùs tyranno.
At Romæ ſtudiis, TIBIQUE, PRINCEPS,
Claro murice duplicis Senatus,
Cui tutela data artiumque, & audis
Orbis deliciæ, decuſque Vatum,
Plures debuit Inſula Archimedes,
Plures obtulit Inſula Archimedes.

Digitized by Google

INDEX RERUM

1 Hermanni Conringij Dissertatio de stud. liberalibus urbis ROMÆ
2 Io. Harduini de nummis Herodiadum
3 Iacobi A Mellen Historia Urnæ Sepulcralis Sarmaticæ
4 Io. Ciampini sacro Historica disquisitio duob. emblemat. antiq.
5 Aloysii Andrucij dissert. de incerto Simulacro, ac voto Melentij
6 Marmor Anaglyphum Archimedis in Capitolio

Digitized by Google